

Bibliothèque numérique

medic@

**Lanigan, Georges - candidat / de
Lalouette, Pierre - président. - An in
Tumoribus articulorum, albis dictis,
Setaceum ?**

1788.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°162a***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0162a](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0162a)


139
VIRO OPTIMO,
AMICO COLENDISSIMO,
STEPHANO
GAILLARD DE ST. GERMAIN,
EQUITI,



Hoc grati animi & reverentiæ pignus,

DICAT, VOVET; CONSECRAT

Obsequentiſſimus & devotiſſimus
Georgius LANIGAN.



VIRO OPTIMO,
AMICO COLENDISSIMO,
STEPHANO
GAILLARD DE S. GERMAIN.
EQUITI.

Hoc grati animi & reverentiae pignus,

DICAT, VOVELT, CONSECRAT

Opusculum de devinibus
Georgius LANGAN.

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono



QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-tertiâ
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXVIII.*

M. PETRO DE LALOUETTE, Regii Ordinis Equite, Doctore
Medico, Præfide.

An in Tumoribus articularum, albis dictis, Setaceum.

I.

AUTORES Medici, morborum phœnomena & œconomix animalis leges, sedulò investigare assueti, jamdiu exploratam habuerunt mirabilem illam corporis viventis facultatem, quâ imminentes à se morbos avertit, vel motus saltem excitat illis debellandis maximè idoneos; & sic, causâ morbum inducente superatâ functionum integritas, à quâ sanitas immediatè pendet, sæpè sæpius restituitur. Hæc autem facultas, in Scholis vis naturæ medicatrix nuncupata, non immeritò primarium dici potest artis medicæ fundamentum: & reverà Medicina nunquam utilior est, nunquam felicior, quam dum attento animo naturæ gressus Vir clinicus prosequitur, diligenterque cavet ne salutaria illius molimina perturbet.

Primâ autem sub mundi origine, homines paucissimis obnoxii erant morbis, qui quidem characteribus admodum distinctis insigniti, à se invicem faciliè dig- noscebantur; & varii Naturæ, in illis sanandis, conatus ita erant conspicui, ut nullus ferè adesset errori locus. Heu! verò quantum è priscâ dignitate cecidimus! Quam difficile nunc est salutaria Naturæ conamina à pravis morbi effectibus dig- noscere! simplices illi morbi quorum tot exempla in Veterum reperiuntur scriptis, nunc rarissimè occurrunt. Homines enim cupiditatibus obsœcati à rectâ Naturæ semitâ nimirum deslecentes, innumerabiles sibimet ipsis comparaverunt morbo- rum species; ita ut sola harum enumeratio difficillimum hodiè negotium esset. Si ergo dum viveret divinus Senex, *Ars longa, vita brevis* dici potuissent, quid nunc dicendum foret? Ex his patet arduum admodum esse artis Medicæ exerci- tium. Nil verò desperandum. Quò enim majoribus ars Apollinaris premitur dif- ficultatibus, eò magis nobis incumbit, naturam sequi ducem, & quò tendat vis Naturæ medicatrix ritè perpendere. Sic plerùmque, modo vanis hypothefibus con- decipiamur, ad accuratam cujuscunque morbi naturæ cognitionem assurgere possumus; sic etiam rectam illius sanandi methodum instituere licebit.

Nos autem non fugit aliquos esse morbos, genuina quorum indoles difficillimè apprehenditur. Stipantur enim aliquando tam diversis & quasi oppositis symp- tomatibus, ut tunc de verâ illorum syncrasi nihil certi statuere possumus. Quotidiè verò decrescit horum morborum numerus. Utilibus enim variorum

Scriptorum laboribus, de die in diem latius extenditur Medicinæ acies; & plures morbi quorum historia in Veterum scriptis, parum vel minus rectè evoluitur, hodiè apprimè cognoscuntur. Inter hos recenseri possunt articulorum quidam tumores, qui ex eo quod per longum temporis intervallum cutis non immutatur color, albi dicuntur. Inter Veteres solus Celsus aliquid de hisce tumoribus protulit. Inter Recentiores autem plures, dum de ossium morbis agerent, aliqui verò ex professo, de hâcce tumorum specie tractaverunt. Sed quamvis aliquæ observationes, hâc de re, satis utiles passim inveniri queant; attamen genuinam horum tumorum indolem à nemine benè cognitam fuisse videtur, si solum Clar. Bell, Chirurgiæ in Universitati Edimburgensi Professore excipias, qui accuratam hujusce morbi historiam tradidit, in opere suo non satis commendando, cui titulus *Essay on Ulcers*. Auctoritate igitur tam celebris viri nixus, multum fecisse credam, si illius doctrinam rectè evolvere possim.

I I.

TUMORES articulorum albi, quoscunque articulos, sed præsertim maleoli & genu obsidere solent. Ab Autore mox laudato optimè in duplicem dividuntur speciem, *rheumatismalem* nempe, & *scrophulosam*. Aggrediente morbo, ambæ illæ species satis à se invicem distinctæ sunt; lapsu autem temporis, symptomata ad utramque pertinentia, ita inter se confunduntur, ut unam ab alterâ perdifficile sit discernere.

Hæc autem symptomata primam speciem concomitari solent; peracutus dolor totum articulum occupat, qui quidem propagatur supra musculorum tendines cum illo articulo connexos. Semper etiam adest aliqua tegumentorum ambientium tumefactio. Quamvis tensio sit summa, cutis tamen color adhuc rarissimè mutatur. Ab initio motus levissimi agri cruciatus augent; parte autem flexâ minuuntur. Sed ex partis flexione constanti, favente præsertim peculiari hujus morbi indole, oritur musculorum rigiditas & contractio; quæ quidem, licet verè anchylosis speciem referant, cum illâ minimè confundendæ sunt. In hoc rerum statu, si congrua non adhibentur remedia, serpit morbus, tumefactio adhuc levis paulatim crescit, & aliquando molem triplo majorem acquirit; magno etiam instruitur elaterio; & sic à tumefactione ædematosâ quæ prementis digiti vestigium retinet, optimè distinguitur. Venæ subcutaneæ turgent, & varicosæ fiunt. Ex partibus tumori inferioribus, musculares tabescunt, cœteræ verò, ædemate correptæ, illius magnitudinem æquant. Dolor jamjam valdè intensus, lecti vel extraneo calore maximè augetur. Inflammationem non resolutam nunc suppuratio sequitur; indè variis abscessibus, qui tumorem undique circumveniunt, & qui fluctuantis fluidi sentum satis manifestè præbent, quamvis materies in illis contentæ non videantur misceri. Hi abscessus spontè, vel operatoris manu aperti humorem purulentum, & bonæ satis indolis, magnâ fundunt copiâ; hic autem humor brevi in saniem fœtidam, ichoremque vertitur; & quod notatu dignum, licet copiosa sit effusio, parum minuuntur tumores.

His, ni ars impediât, nimis citò sanatis abscessibus, novi enascuntur eundem omnino exitum habituri; & sic lapsu temporis tota ferè pars affecta una fit cicatrix. Sed eò usque morbus advenire non potuit, nisi magno ægrotantis damno. Jamdiù enim doloris intensitas somnum & appetitum attrulit. Suppurationis insuper materies, quæ à primâ suâ formatione plus minusve absorbetur, nunc apertis abscessibus, syllema totum majori copiâ ingreditur & inficit. Hinc pulsus frequens, sudores nocturni, & diarrhæa colliquativa; quæ tot tantisque miseriis finem imponere solent.

Aliquando dolor acerbissimus incipientem hunc morbum comitatur; & exindè

nil boni auspicari licet. Æger ipse incertiæ curationi plerumque articuli amputationem anteposit. Tunc autem partium inspectio ligamentorum nimiam crassitatem adesse comprobat. Ossa, cartilagineque à suâ sanitate non excidunt: remanent etiam humoris synovialis, tum eadem quantitas, tum eadem consistentia. Parte vero post suppurationem inceptam truncatâ, præter auctam ligamentorum crassitatem, spissam mucosamque materiem in partibus vicinis undique effusam, minimè verò cum puris congerie mixtam invenies. Huic subtilitæ adscribendum esse videtur horumce tumorum elaterium. Aliquando etiam multi occurrunt parvi hydatides. Brevi autem ex his omnibus rudis indigestaque moles oritur, cujus nulla omninò fieri potest descriptio. Res aliquando hac usque perveniunt, quamvis ossa & cartilagine nullatenus afficiantur. Plerumque autem spissa illa, & quasi albuminosa materies, acrior facta, capsulam articulare destruit, cartilagine corrodit; denique ossa ipsa carie tentantur. Flexorum autem musculorum tendines, licet rigidi & contracti, aliundè semper sani reperiuntur.

I I I

SECUNDA, seu scrophulosa tumoris albi species, diversis valdè stipatur symptomatibus. In hac enim jam incipiente, dolor multò magis intenditur, minimè verò diffunditur, mediam plerumque articuli partem occupans. Tumefactio levissima, nullam cum illo rationem servat. Ex motu doloris incrementum; ex quiete musculorum rigiditas. Ab initio, ossium articulum componentium, capita mole augentur: brevi autem tumor elasticitatem supradictam acquirit. Turgent venæ, & varii abscessus tumorem undique circumveniunt: hi materiem ichorosam pro pure fundunt: ossa ipsa carie tentata exfoliantur. His omnibus accedunt diarrhææ, sudoresque nocturni. Non mirum ergo si tot tantisque miseriis fractus æger, olim fortasse plenioris habitus nunc macie confectus pereat. Partes molles adhuc parum affici solent; ut harumce post ægri mortem vel articuli amputationem dissectione constat. Ossium verò extremitates semper plus minulve tumefactæ inveniuntur; & incipiens hic morbus non rarò nullo alio symptomate se prodit. Post aliquod tempus spongiosa ossium substantia in saniem putridam convertitur, licet adhuc cartilagine sani aliquando sint: hi autem brevi dissolvuntur, ligamenta condensantur, & tela cellulosa undique spissâ infarcitur materie; ex quibus omnibus multò magis confusa oritur congeries, quam in quocumque speciei *rheumaticæ* stadio.

Peractâ igitur utriusque descriptione, ex diverso symptomatum decursu rectè, ni fallor, concludere licet, non solum morbi sedem, sed etiam causam valdè diversam esse. Ex dictis enim evidenter patet primam speciem à nimia ligamentorum crassitie, quocumque modo inducta sit, primariò pendere. Hæc autem morbosæ crassities variis producit causis externis; inter quas recenseri possunt contusiones, luxationes & alii articularum affectus ab externâ causâ oriundi. Hæc autem omnia non sufficerent, nisi diathesis adfuerit *rheumaticæ*, quæ prædisponentis causæ fungitur officio. In dubium equidem revocari nequit, hujusce generis affectionem in hoc morbo magnas agere partes. Dolores enim rheumatici articulos plerumque occupant, & præsertim majores, diffunduntur etiam juxta varias musculorum cum illo articulo connexorum directiones; partis affectæ motu, vel lecti calore non parum exacerbantur. Eadem hic etiam occurrit musculorum rigiditas; adestque aliquando tumefactio quædam, copiosumque gelatinosi humoris effluvium inter tendinosas musculorum vaginas; quod quidem effluvium in utroque casu ex eadem omninò pendere causâ videtur; ex prægressâ nempe quâdam musculorum tendinumque inflammatione: hæc etenim partes verum nunquam pus ingenerant. Indè non immeritò prima hæc tumoris albi species *rheumaticæ* nuncupatur.

Ex enumeratione verò symptomatum secundam speciem concomitantium, evidenter patet hic ossa primario affici; partes autem molles non nisi per morbi diuturnitatem inquinari. Rarissime à causis externis producitur hæc affectio; ager ipse illius originis rationem reddere non potest. Quocunque morbi stadio investigantur ossa, semper mole aucta reperiuntur, & exinde spinæ ventosæ species aliqua creditur, quod quidem morbi genus magnam habet cum scrophulis analogiam. Amborum enim simillimum est initium. Si quidem ab aliquâ partium quas occupant tumefactione incipiunt. Hæc insuper tumefactio eundem in utroque exitum habet; partium enim ulceratione terminatur. Deinde frequenter accidit ut utroque malo eodem temporis puncto miserrime torqueatur ager. His omnibus adjici potest, hanc tumoris albi speciem ferè semper homines aggredi scrophulis actu laborantes, aut saltem huic morbo à juvenili ætate vel hæreditaria labe obnoxios. Ex his rectè concludi potest, illam à cachexiâ scrophulosâ ortum ducere; inde etiam sequitur tumorum alborum distinctionem in *rheumatismalem* & *scrophulosam* maxime veritati consentaneam esse.

I V.

GENUINÆ morborum indolis cognoscendæ utilitas nunquam melius quàm in præsentī casu percipitur. Ambæ enim illæ tumoris albi species diversam omnino medelam postulant. Inde sedulo à se invicem distinguendæ sunt. Prima etenim ut descriptione constat, diathæsis inflammatoriæ plus minusve particeps est; & exinde ineunte morbo, vigente adhuc inflammatione, antiphlogistica præsertim juvant remedia; inter quæ primum locum tenet sanguinis missio; sed observatione probatum est, hinc partis affectæ scarificationes venæ sectioni anteponendam esse. Cucurbitulis itaque scarificatis articuli lateribus admotis, octo vel decem sanguinis uncia educendæ sunt. Si sanguinis missi quantitas minor sit, parum omnino prodesset operatio; quæ quidem unâ vel alterâ vice pro symptomatum violentiâ & ægrotantis viribus iteranda est. Hinc minimè utiles, imò noxiæ essent hirudines: harum enim ope lentè nimis fit evacuatio; & insuper illorum applicatione, tumefactio ultra modum augetur; quod impedit quominus alia topica per diu admoveantur remedia.

Factâ igitur copiosâ sanguinis evacuatione, in parte articuli anteriore sine morâ apponendum est vesicans exiguum, quod stimulantē suâ virtute, magnam humoris copiam ad hanc partem apellit: diligenter verò cavendum est ne sistatur humoris illius effluvium, donec puncta scarificata eò usque sanentur, ut pati etiam possint vesicantis applicationem, quod tunc uni lateri scarificato apponi debet; hoc ferè sanato, aliud alteri lateri admovendum est. Hæc vesicantia in omni tumoris ambitu alternatim apposita, continuâ, quam exercent, stimulatione multo magis prodesse videntur, si profundior sit inflammationis sedes, quam humoris effluvio licet copiosissimo.

Hæc autem topica remedia concomitari debent, lenium catharticum usus, victus temperans, diætæque antiphlogistica. Ex his omnibus constanter, dum viget inflammatio, usurpatis, magnâ oriuntur commoda. Superatâ vero diathæsi inflammatoriâ, parum utilia sunt; & exinde in illis diutius hærendum non est. Tunc enim ad alia efficaciora remedia recurrere necesse est. In hoc rerum statu, nullis adhuc efformatis abscessibus, mercurialia bonos aliquandò eliciunt effectus, licet solummodò ad lenem oris irritationem per aliquot tamen hebdomades protraham fumentur. Quum verò mera frictio in hisce affectibus potens sit auxilium, omnibus aliis mercurii adhibendi methodis frictiones locales sine dubio anteponendæ sunt. Tale ergò conficiendum est unguentum mercuriale ut ter in die duæ drachmæ faciliè ad moveri queant. Unaquæque autem frictio horam integram consumere debet; parum enim aliundè prodesset.

Le Dran & aliqui alii aquam tepidam ex alto cadentem in hisce tumoribus laudant; & reverà penes omnes est humiditatem calori junctam omnia emollire, laxare; & perinde verisimillimum est aquæ calidæ vaporem præstantissimum esse remedium, quando saltem nimis diu non perduraverit morbus. Juxta *Clar. Bell*, aqua etiam frigida aliquando profuit.

Prudenti horum omnium applicatione incipiens jam morbus feliciter debellatur. Ex constanti verò partis flexione, talis aliquando remanet rigiditas, ut articulus non nisi difficillimè moveatur. Circa hujus rigiditatis causam, maximo cum ægotantium detrimento, multum errabant Autores. Alii enim illam ossium coalitioni, destructo nempe cartilagine illorum capita vestiente, aliis autem synoviae inspissationi tribuunt; sed ex partium inspectione anatomicâ constat, ossium coalitionem solummodò versùs morbi finem locum habere; synoviae etiam qualitas nunquam mutata invenitur, nisi quando ossa planè carie torquentur. Quum ergo hæc articuli rigiditas à solâ præternaturali musculorum tendinumque contractione pendeat, nullum adest dubium, quin longo & constanti emollientium usu sanari possit. Plura hujusce rei exempla se vidisse testatur *Clar. Bell*, licet aliquando tam rebellis fuerit hæc affectio, ut propeßimâ anchylosis specie haberetur. Ad hunc scopum obtinendum nihil melius usurpari potest, quam oleum olivarum calidum. Hoc igitur oleo ter in die per horam integram fricanda est pars affecta. Hæc autem frictiones non solum articulo applicandæ sunt, sed etiam ad ipsos extendi debent musculos quorum tendines illi articulo inferuntur. In his enim musculus, præsertim hære videtur morbus; si quidem hæ solæ vi contractili gaudent. Duobus in casibus ovis recens mactati omentum optimo cum successu toti articulo superimpositum fuisse testatur jam toties laudatus Autor. Hæc autem applicatio per plures dies iterari debet, cavendo tamen ne pluries idem omentum admoveatur: si quidem hujus applicationis efficacia pro magnâ parte ab illius calore pendet. Simillimum remedium à *Clar. Lieutaud* (1) commendatum invenimus.

V.

HÆC omnia profunt, licet nulla sit materiei congeries. Nam tunc ex illis vix quid boni sperandum est. Sed hic etiam non immediatè ad articuli amputationem confugiendum est. Hæc enim operatio solummodò institui debet, quando ægri debilitas, & ligamentorum capsulæque articularis erosio, nullam illius aliter sanandi spem relinquunt. Et reverà experienciâ compertum est amputationem articuli sæpius in hoc morbo feliciter celebrari, quando diarrhæa sudoribusque nocturnis vires non parùm franguntur. Si enim debilitas nimia non sit, febris hectica prudenti corticis peruviani usu paucis diebus cohiberi potest. Deinde nunquam in hoc casu pertimescenda exoritur inflammatio. Sed è contrâ vires sanitasque brevi restituntur. Parte verò nimis citò sectâ, febris valida accenditur, quæ diras aliquando strages edit; & proinde magno æger in discrimine versatur.

Præterea, ligamentorum capsulæque articularis erosio præcaveri potest, si paulò post abscessuum ortum materiei congestæ suppeditatur exitus. Hoc autem optimè setaceis perficitur. Causticum enim ac ferrum hic multò minùs feliciter usurparentur. Nam causticum in partibus jam inflammatione correptis magnos excitat cruciatus, lentè admodum procedit, & quamvis magnâ cum cautelâ tractetur, impedire non possumus, quin aliquando illius actio nimis latè extendatur. Unde maxima aliquando nascuntur incommoda. Non immeritò ergo hodiè obsolescet illius usus. Ferrum quamvis caustico anteponendum, tamen hic minimè aptum esset. Nam ut liber pateat materiei exitus, largâ satis fieri debet incisio. Tunc verò è subito humoris contenti egressu, animi deliquium & alia prava symptomata

(1) *Lieutaud* de hisce affectibus tractans, sic loquitur: « Obvolvitur etiam pars affecta pelle calidâ vervecis, vetuli, alteriusve pecudis, recens mactati, vel immittitur inum ventrem bovis, vitali calori haud defraudati. » *Synopsis universæ Praxeos medicæ*, vol. 1, p. 400.

occurrunt. Deinde aëris contactu mirè mutatur puris indoles; quod quidem acius factum, magnâ copiâ venis resorbetur, & sic sanguini mixtum, vitiatâ præsertim illius indole, multos & non facillè compescendos tumultus excitat. Hi autem diu aëris effectus in tumoribus albis multò magis pertimescendi sunt; ex illorum enim descriptione patet materiem in illis contentam in saniem foetidam ichoremque brevi converti. Hisce incommodis minimè obnoxia sunt setacea: si quidem illorum applicatio leves solummodò dolores excitat, evacuatio lentè procedit, aërisque contactus illis optimè arcetur.

Tumores autem albi à diathësi scrophulosâ oriundi, sanatu difficillimi sunt. Non nisi enim sublatâ causâ tollitur effectus. Nulla verò adhuc cognita sunt certa ad hunc morbum debellandum remedia. Deindè articuli amputatio non impediret quin paulò post alter articulus eâdem inficeretur labe. Operatio ergo illa nunquam in his casibus instituenda est, nisi quando dolores adeo sunt acervi, ut illos æger amplius pati nesciat. Recente morbo, illa remedia quæ diathesim scrophulosam debellare valent, feliciter aliquando usurpari possunt. Hujus autem præcipua sunt, cortex peruvianus frequenter & largâ satis dosi adhibitus, balnea frigida in mare præsertim excepta, exercitium moderatum, aëris regionisque mutatio. Regio autem sicca anteponenda est. Quando verò efformantur abscessus, rationes mox allatæ hic à fortiori suadent illos setaceis aperiendos esse. Aëris enim contactu materiæ in tumoribus scrophulosis contentæ indoles brevissimè vitiatur.

Quando per longum horumce remedium usum tumores illi sanationi propinquiores accedunt, & diathësis scrophulosa pro magnâ parte eradicari videtur; tunc fonticulus, ad sanitatem citius restituendam multum inserviret. Hunc autem fonticulum, ne morbus redeat, semper apertum fervare necesse est. In ultimo tandem morbi stadio, quum sola curatio palliativa institui potest, opiata dolores minuendo profunt.

Ergò in Tumoribus articuloꝝum, Albis dictis, setaceum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes - Baptista BAT-
GNERES.

M. Joannes-Baptista JUMELIN.

M. Pet. POISSONNIER, Eques,
Regis in Sacro Consilio Con-
siliarius, Regi à Consiliis Me-
dicis, in Regiis Arcibus Ma-
ritimis & Colonis Medicina
Præfatus, è Regiâ Scien-
tiarum Academiâ Parisiensi,
necnon Brestensis, Divio-
nensis, Londinensis, Matri-
tensis, Londinensis, Stokol-
miensis & Petropolitonæ So-
cius, Professor & Censor Re-
gius, &c.

M. Alphonsius-Vincentius-Lu-
dovicus-Antonius LE ROI.

M. Joannes-Jacobus DE LA
PORTE, Regis in Portu Brest
consi nuper Medicus.

M. Carolus-Ludovicus LIGER,
Consiliarius Medicus Regis
ordinarius in urbe & Comitatu
Altiodorenfi.

M. Joannes - Matthæus DE
FRASNE.

M. Thomas LE TENNEUR.

M. Na'alis Maria DE GEY-
GLAND, Regiorum in Germa-
niâ Ducum & Militum Noso-
comiorum nuper Medicus.

Proponebat Parisiis GEORGIUS LANIGAN, Waterfordiensis Hybernus, Doctor
Nanceianus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus, Theseos Auctor.

A. R. S. H. 1788. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1788.

